PNEUMONITIS ACUTISSIMA PHLEGMONOSA IN SUPPURATIONEM VERSA...

Giovanni Battista Mattioli



PNEUMONITIS ACUTISSIMA
PHLEGMONOSA
IN SUPPURATIONEM VERSA

DISSERTATIO INAUGURALIS

J. B. MATTIOLI

LENDINARIENSIS

LAUREAM DOCTORALEM

DIE I MARTII

ADIPISCENTIS

PATAVII

TYPIS SEMINARII

1846



QUAE PRIMA

DE ARTE MEDICA SCRIPSI

TIBI

JACOBE

DILECTISSIME PATRUE DEI SACERDOS

SACRO

PROOEMIUM

Nemini est animo reputandum, academicarum legum statutis una tantum obtemperandi causa, me id nunc exponendum aggredi, quod anno praeterlapso in hujus Universitatis medicae clinicae superioris palaestra mihi videre contigit; ast quum inter tot diversas scientiae nostrae sententias, inter multiplicia et inter se discrepantia systemata, difficile admodum esset aliquod theoreticum argumentum philosophicis plenius evolvere discussionibus; rationi potius meisque viribus consentaneum videtur, me in una tantum et nitida acerrimae pneumonitidis ad suppurationis exitum deductae observatione versari, illis eventum illustrando commentis, quae meis sane exiguis respondeant cognitionibus. Atque hoc profecto libentius, quod idem morbus, propter varias illius exitus phases tribus circiter interjectis mensibus, magna Professoris eximii cura meorumque sociorum cum admiratione ad perfectam usque sanationem devenit.

Neque me, fateor, latet, eventus similes e celeberrimis artis medicae Viris in medium saepe saepius prolatos fuisse; communes immo ab illis habitos, qui per longam annorum seriem inter sacras aegrorum hospitii parietes pallescere visi sunt: haec omnia patent. Nihilo tamen secius et mihi et sociis rarum sane atque, uti dicam, portentosum videbatur, hominem firma quidem pulchraque structura donatum superiorem evadere potuisse de acerrimo omnino conflictu, quem morbi hinc saevissimi praepotentia, cura illinc opponenda validissima indicebat, qua ad debellandum primo tollendumque morbum aegroti vitam jam jam dominaturum, ad novas deinde insidias ab eodem paratas ex integro propulsandas uti oportuit.

Factum hoc recordatione dignissimum existimans, solemnem ego hujus diei occasionem arripui, qua veram illius historiam pro viribus enarrandam susciperem.

Reschiglian Aloysius, bajulus, Baccho devotissimus, trigesimum secundum annum natus, temperamenti eminenter sanguinei, firmissimae et athleticae corporis constitutionis, in pueritia nullum, nullum aetate juvenili, praeter myositidem thoracicam sinistram indolis rheumaticae cataplasmatum emollientium ope per decem mensium cyclum evanidam, exantlavit morbum. Ex aeris injuriis in hyeme aliunde perversa aetate annorum viginti quatuor gravem ophthalmiam patiebatur: ceterum integra semper valetudine gavisus est.

Octo ante dies, priusquam clinicae limina tetigisset, summo mane e somno surgens, capitis obnubilatione vertiginibusque correptus, quin tamen perfecta motus sensusque interni externique sequeretur abolitio, corruit humi. Medentis illico sub imperio, ampla venae sectione celebrata et drastico remedio intus praestito, haud amplius haecce phaenomena redivere: ast verum quotidie urgebant rerum oblivio, animi morositas, virium vitalium jactura, molesta lumbago, summa erga frigus externum sensibilitas, summaque inquietudo, tussis paulisper insolens cum sputis mucoso-salivalibus,

suspiria crebriora, dolor lateralis ad intervalla recurrens et motus febrilis ad vesperas sat manifestus. Quam ob rem tritis ipse jam vetustate proverbiis proprioque animo indulgens vino alcoholibusque infirmam levare studuit valetudinem. Infelix! ignis morbosus intimis pulmonum compagibus jamdudum delitescebat, qui veluti ab electrico ictu excitatus celer evolvitur, et breviter maturatus superbit. En Aloysius noster die 29 martii, an. 1845, secunda ingrediente morbi, in clinico cubili locatus.

Memoratu digna sequentia (tunc temporis) praesto erant phaenomena: oculi photophobi, splendentes sanguineque suffusi, genae turgidae, succensae, sudore madefactae, similes hominis sub ardente syrio incedentis, physiognomia tristis, dejecta, internae truculentae passionis imaginem exprimens, aurium susurus, cephalaea gravativa frontalis sub tussi recrudescens, serenae attamen mentis operationes; apex et margines linguae sat detersi, dorsum et basis vero velamine albo mucoso tecta, sitis flagrans, inexplebilis, anorexia, sapor oris ingratus, amarus valdopere. Thorax perbene evolutus, respiratio insigniter anxia, quoad tempus frequens et accelerata, quoad spatium brevis, sublimis et obliqua, latus enim sinistrum sub inspiratione minus quam dexterum expandebatur; tussis crebrior erat, permolesta ac suffocativa, sputa mucoso-lymphatico-viscida ejiciebantur; accusabat aeger porro praegravem ad sternum oppressionis constrictionisque sensum, veluti si aliquid

ponderosum ipsi incumberet; accusabat dolorem continuum lancinantem punctorium, a tussi frequentia, levi etiam attactu, et decubitu in latere non inflammato ingravescentem; dolor fixus, referente aegrotante, ad regionem anteriorem aliquantulum lateralem sextae et septimae costae verae pectoris sinistri, ex qua tamen superiora versus usque ad claviculam protendebatur; pauca ipse et anhelitu intersecta proferebat verba. Decubitus in latere affecto non denegatus, in opposito impeditus, dorsalis et semierectus praedilectus; pulsus suppressi, ast duri et frequentissimi, dum cor celeriter et fortiter movebatur; thermogenesis undique aequabiliter evecta, si exciperetur caput et latus affectum, in quibus elatior manu appropinquante dignoscebatur; cutis undique et caput praecipue copioso madebat sudore; de ingenti autem virium vitalium prostratione haud conquerebatur aeger. Abdomen pleniusculum, atqui sat molle et tractabile; alvus a duobus diebus clausa; urinae limpidae flammeae; sanguis in aula communi eductus corio pleuritico satis denso refertus.

Percussio et auscultatio. Sub percussione thoracis dexteri in regionibus subclavicularibus, mammillaribus et submammillaribus abunde clara erat resonantia, quum ad sinistrum speciatim in regione anteriori media aliquantisper laterali obvelata percipiebatur. Tubi acustici Laennechiani adplicatione debilis et valde imminuta in eadem regione audiebatur respiratio vesicularis, quae imminutio dextrorsum etiam et superne, etsi

minori in gradu, una cum roncho sonoro-mucoso huc et illuc diffuso manifestabatur. Sinistrorsum in regione toties descripta ronchus crepitans, siccus, clarus aderat, superne obscurus, rarus et vix perceptibilis factus, atque inter sextam et septimam costam lateraliter aliquantulum, ubi referente aegro dolor magis magisque saeviebat, cum affrictu pleurae quandoque sociabatur.

Ex hisce omnibus possibili diligentia collectis, adjuvante praesertim cylindri Laennechii ope, ab expertissima doct. ass. Pedroni aure adhibita, ex una parte sedes morbi ejusque limites mathematico fere more dimetiri poterant, atque organa primitus et eminenter affecta proximius inspiciebantur in primo phlogoseos stadio versari; ex altera ipsius decursus gradusque processus inflammatorii sine dubio altissimus liquido cuique patebant. Quapropter, retenta a Professore clinico idea de pneumonitide gravissima phlegmonosa in incrementi stadio versante, medendi methodus opportuna exinde, quam fieri poterat, energica, et sub prognosi valde ancipiti extra omnem dubitationis aleam erat suscipienda.

Re quidem vera ad immodicum totius vitae impetum compescendum, pulmonumve avertendam symphoresim in primo commorationis vespere v. s. ad eamdem dosim (unc. XIV.), ac illa in aula nosocomiali celebrata, ordinabatur; v. s., quam subsequa die (30 martii) ter ad lib. I. repetere fas erat. Intus propinabatur princeps remedium antiphlogistico-deprimens, sicut illud,

quod systema capillare membranaceum et organa respirationis electivo fere modo aggreditur; illud, quod organorum, dum luxuriat, plasticitatem moderat ac solvit; quod in morbis pulmonum inflammatoriis tractandis usque ad sidera extollitur ab eximio Rasorio ejusque sectatoribus, ita ut *diathesimetri* nomen sibi vindicaverit; porrigebatur itaque tartarus stibiatus dosi gr. II, et pro potu phtisana nitrata. Ex therapia tali pacto adhibita sub matutina visitatione diei 31 martii laudabilior omnium generalium symptomatum advertebatur remissio: ast molestissima tussis, dolor lateralis vividior, respiratio anxia et dyspnoica et sanguis e vena eductus densissima ac tenaci crusta refertus praesto erant; alteram ex hinc v. s. (ad lib. I, quintam nobis) adjiciendam, et in iisdem internis praesidiis continuandum patavimus. Ad vesperas porro ex eo quod, praeter localium, generalium insimul phaenomenorum luculenta contingebat exasperatio iterandam esse v. s. (ad lib. I) ordinatum fuit.

Die prima aprilis (quarta curae ingrediente), etsi in matutina reactionis febrilis remissione versaretur aeger, colluctabat tamen cum eodem symptomatum apparatu, et speciatim cum dyspnoea gravi, tussi frequentissima interrupta, sputisque mucoso-viscidis comitata; sanguis adhuc crassa gaudebat crusta pleuritica, morbique focum eodem in gradu vigere stethoscopia testabatur. Nulla erat in therapia interna mutatio; tantummodo dosis tartari emetici ad granum restringebatur, quod,

quum serperet in intima intestinorum pariete aliqua irritatio, uti facili negotio de hac suspicio a superius expositis inferri potest, dyarrhoeam pharmacon istiusmodi ciebat: duae v. s. verum ad unc. X, una mane (septima nobis), altera sub vespertina febris acie instituebantur.

Pergebat dein per unam circiter hebdomadam, quin ulla criseos signa comparuissent exoptata, de nocte mitior, et sanis horis matutinis subsequentis diei a medela ejus tyrannidi accommodata multum mitigatus, immo toto caelo mutatus ostendebatur morbus. Interea fluxu alvino perseverante, et praxi clinica profecto docente, quod si tartarus stibiatus in gravibus inflammationibus membranaceis inter omnia excellit medicamina, res pari non incedit gressu, quum haecce parenchymatosarum gradum exitum jam jam exitialem continuo minitantium assequi videantur; tunc temporis kermes vel aconito vel calomelano nuptum jure meritoque praeseferri meretur; has ab causas tartrati lixivae stibiato kermes cum extracto aconiti, phtisanae hippocraticae invito animo ab aegro insumptae infusus diaphoreticus (florum tiliae) nitratus substituebantur, et amplum vesicans utrisque suris applicandum erat. De auxilio principi sub hoc tum conspicuo morbi levamine ne disquirendum quidem; solum propter insignem ac fere repentinam omnium phaenomenorum pneumonitidis recrudescentiam (praecipue majoris spiritus angustiae et sensus oppressionis ponderisque ad sternum) iterum in scenam

prodeuntium ad mesonyctium versus sextam a susceptione diem sanguis ad uncias IX (v. s omnium decima) impellente necessitate subtrahebatur. Post unam alteramve diem pilulas ex kermete et extracto aconiti confectas sufferre amplius nequivit aegrotans: praesto erant lingua sordidissima, ructus metallici, nausea, vomendi nisus, et obstinata alvi constipatio, dyarrhoeae accedens; rheum electum haec inter per integrae circiter hebdomadae cyclum, utpote illud, quod ab omnibus in convalescentium saburris laudatur medicis, sub infusi aquosi forma praescribebatur.

Hisce ita peractis ex faucibus orci abreptus videbatur aeger: ast hominum judicia quam facile erroribus obvia sunt. Effraenis illa molesta tussis, tarda atque insufficiens sputorum coctio, omnium criticarum evacuationum defectus, et praecipue inutilis sudor, vesicularis rumor sub auscultatione velatus adhuc et a respiratione bronchiali suffectus, erant profecto testimonia fidumque veluti speculum interioris ignis non adhuc extincti, qui potius magis magisque in die flagrare minitabatur; licet alia phaenomena et praesertim illa ardoris febrilis essent longe imminuta. Et re quidem vera aegrotus noster nona aprilis die noctem habuit inquietam nimium; tussis fuit assidua, dyspnoea insignis, lateris dolor acutior quam prius succrescebat; hisce febris insolentior exacerbatio accedebat, febris, quae aliquot dierum spatio, tum nostrum dolo, tum infirmi proditione, fere penitus delituerat. Jure hinc ac merito de-

cimo aprilis mane sanguinis ad uncias X emissio peragebatur, et iterum decoctum mucillaginosum nitratum porrigebatur. = Hisce tamen non obstantibus vis haud mitigabatur morbi. Tribus post meridiem horis aegrotum per dimidiam circiter horam frigus adoritur vehemens; hoc excipit urens calor et copiosus de nocte sudor. Ad rectam rei dijudicationem methodus expectativa nobis arrisit; mane autem summa spiritus oppressio atque anxietas, tussis et dolor rursus aucti, arteriarum ad carpum pulsatio dura et contracta, alta emissi sanguinis crusta, et assiduae aegri preces, utpote qui, quod natura expetebat, sentiret, novitus venam tundere cogebant ad VIII tantum uncias sanguinis deplendas. Eadem nihilominus hora subiit paroxysmus febrilis phaenomenis supradictis stipatus, magnam medenti difficultatem objiciens. Hinc gravitas et diffusio inflammationis, ut a relatorum symptomatum apparatu patebat, nulla criseos (nec per diaphoresim, nec per anacatharsim aut diuresim) sexdecim jam a morbi exordio elapsis diebus adparitio, quamvis promptissima potentissimaque artis praesidia fuerint adhibita, tussis dolorisque lateralis cum profundae oppressionis sensu recrudescentia, febris cum intenso frigore a calore sudorisque magna quantitate excepto a biduo renovata, virium vitalium manifestus delapsus cum anima foetenti, circumscripto rubore malarum et oculis in orbitas retractis, atque prae omnibus perfectae rumoris vesicularis abolitioni bronchophoniae ac respirationis bron-

chialis substitutio, nec non ronchi mucoso-crepitantis adparitio, incepti nobis haec omnia suppurationis exitus praebebant suspicionem.

Ne quis miretur verum, si sub tantis Laennechianae doctrinae progressibus, immo uti dicam perfectione, judicium relate ad hujusmodi exitum anceps solummodo proferre ausi simus. Signa enim rationalia sensibilia superius recensita plerumque insufficientia et longe aliarum internarum passionum soboles esse possunt: signa porro physica tutissima et characteristica, ex quibus inchoantis exitus diagnosis penitus esset illustranda, adhuc desiderantur. Suppuratio sub duplici forma in pulmonum parenchymatosa phlogosi contingere potest; alias sub forma infiltrationis purulentae per lamellas textus cellulo-intervesicularis; alias et rarius una vel plures cystes generantur materia purulenta repletae et verum efformantes abscessum. Nunc summopere interest, ut analytico omnia duarum suppurationis specierum symptomata a stethoscopiae cultoribus notata subjiciantur examini, ex quo deinde compertum habeamus, quam arduum sit tutam atque aequam pneumonitidis suppurantis extruere diagnosim. = Quum istiusmodi exitus sub infiltrationis forma locum habuit, tunc monente celeberrimo Stokes tubus auditivus exploratores de respiratione bronchiali una cum roncho mucoso-crepitante adsociata certiores facit. Fournet, duorum tantum casuum observationi innixus, in eam inducitur sententiam, ronchum mucosum ex bullis amplis et humidis

confectum et sub inspiratione auditum signum esse terminationis supradictae characteristicum; et ipse Laennechius omnium primus de existentia ronchi mucosi in infiltratione purulenta per pulmonum compagem sermonem habuit. Nemo quidem inficiari potest, inquit Grisolle in nunquam sat laudabili sua de pneumonitide monographia, quod in quam pluribus diffusionis purulentae casibus respiratio bronchialis et ronchus crepitans ex bullis humidis et illis primi inflammationis stadii amplioribus sub auscultatione percipiantur; ast ille auctor in multis individuis primo et secundo hepatisationis stadio (semper docente cadaverum autopsia) versantibus pericula instituit stethoscopica, et fere eadem nanciscebatur signa, quod praeterea confirmatum vidit in tribus peripneumonicis perfecte ab ipso sanatis, quamvis sub morbi decursu omnia hepatisationis griseae testimonia perhibuissent. Quare propria experientia suffultus ille summus Vir concludit, signa infiltrationis purulentae omnino indubia et secura Laennechii scientiam haud largiri.

Relate ad secundam suppurationis formam, idest veri abscessus, hanc, omnibus docentibus clinicis, in pneumonitide a causa violenta enata, aut in ea quae longum et chronicum legerit decursum, contingere; et ceteris paribus, monente P. Frank, in individuis misellis et cachecticis, quae omnes circumstantiae in nostro casu penitus deficiebant. Atqui, ut phaenomena physica a Laennechio suppeditata, ex quibus praesentia abscessus in

tela pulmonum dignoscitur, auribus pateant, cavernarum existentia, monente Grisolle, cum bronchiis ostiis sat amplis communicantium praesto sit oportet, quae cavernae liquido purulento plane non impleantur, nec crassis atque induratis obvelentur parietibus.

Ex hisce omnibus clare elucescit, quam arduum sit pneumonitidis suppurantis ex sola stethoscopia justam extruere diagnosim. Nihilo tamen secius, est praeceptum perillustris Skodae, phaenomena semper habentur ab auscultatione, quae textus pulmonalis impermeabilitatem revelare valent, quibus si conjungatur reliquorum symptomatum rationalium complexus, magis probabilis, minime autem certa infertur diagnosis.

Verum praesenti in casu si neque physica, neque functionalia symptomata singillatim spectata rectum ac tutum judicium diagnosticum suffulcire valebant, utraque tamen simul in censum vocata inchoatum jam in adfecto pulmone suppurationis processum nisi omni cum certitudine, summa tamen cum probabilitate manifestabant, sicut Professor noster clinicus monuit. Morbo itaque adeo progresso, quaenam forent artis praesidia opponenda decernere non leve medenti facessebat negotium. Universalis virium dejectio insignis sanguinem, quo decimatus abunde jam fuerat aegrotus, ulterius mittere vetabat; perspecta autem febrilis motus majori ad eamdem horam resilitione, conspicuis illius matutinis horis remissionibus, profusis extricatis sudoribus id remediorum genus indicabatur, quod dum

reagentis vascularis systematis effraenem impetum pro possibili cohiberet, locale superstes incendium eodem tempore compesceret. Hinc dosis porrecta fuit chininae sulphuricae ad scrupulum unum cum aconiti napel. gr. quatuor copulata et inter nycthemerum consumenda.

Re quidem vera praeparata corticis peruviani, qui uti remedium antitypicum a Geoffrois divinum, a Redi miraculosum, a Sydenhamio admirabile nuncupatur, longe aliam in casu nostro portentosam equidem virtutem, illi acidi hydrocyanici, digitalis purpureae, nitri purissimi aliorumque ejusdem generis haud absimilem ostendere videbantur: dosi enim una alterave corticis sulphurici vix propinata morbi in melius mutabatur facies, et furor consuetae reactionis vespertinae perspicue imminuebatur, ita ut ter quaterve per totidem dierum spatium semper eadem superstite indicatione summo cum aegri beneficio iterandam esse censeretur. Clare idcirco ex hisce, nec non quae in posterum enarabimus, effulget, quomodo sulphas chininae non febrem periodicam domuerit, sed immoderatum vasorum sanguiniferorum motum refraenare valuerit.

Etsi verum sub hac therapia signa febrilia potissimum mitescerent, assidue excruciabant aegrum dolor obtusus in pectore sinistro una cum sensu ponderis insidentis, improbus aerem libandi labor, et tussis sine notabili expuitione saevities. De noctu 14 aprilis sub omnium istiusmodi phaenomenorum augmento et spe-

ciatim sub tussi semper ingravescente, magna cum anxietate, et intolerabili, immo suffucationem minitante orthopnoea coepit aeger per bronchiorum ac tracheae viam materiem ejicere viscidam, coloris flavescentis, insignem atque vix tolerandum foetorem redolentem, et tanta in copia, ut ad matutinam visitationem quatuor aerea vasa, dimidiae librae singulum capax, jam essent adimpleta.

Purulenta materies, quae inter textus cellulo-intervesicularis in lobo medio visceris sinistri lamellas sensim exudabatur (omnes notiones anatomico-pathologicas abscessum spectantes brevitatis causa praetermittere credimus) in proprio cavo per inflammatae pulmonum substantiae destructionem enato, cui nomen abscessus vel vomicae tribuitur, colligebatur, ex quo subinde plures sibi poterat aperire vias. Sunt casus frequentes in praxi, in quibus inter thoracis parietes humor purulentus delapsus exteriora versus tendit, vel trans diaphragma aut mediastinum aut pericardium varias et admirandas quidem tentat sibi fodere vias. Sed haec omnia, quae ab auctoribus referuntur exempla, juxta nonnullorum recentiorum observationes ad phthysim tubercularem potius pertinent, vel ad lentam pneumonitidem; in acuta porro rarissime contingere solent. In nostro casu bono aegrotantis eventu purulenta in bronchia cum caverna communicantia sibi viam praeparavit materies; quae tanta in copia ejiciebatur, ut totum, quin a nitida veritate procul simus, triginta li-

brarum pondus per integrum morbi curriculum profecto exsuperaret.

Quod autem de vero ac genuino ageretur pure, hoc facili negotio a characteribus physico-chemicis distingui poterat. Materies ab ore quotidie expulsa erat coloris albo-virido-flavescentis, viscidae naturae, parietibus vasis adhaerens, fragmentis virido-opacis commixta, (quae nil aliud nisi frustula textus cellularis emortua); gravissimum olebat foetorem; ferreae laminae candenti imposita lente urebat odorem pestiferum empyreumaticum late expirans, et residuum carboniosum fusci coloris in cinerem rubro-flavicantem difficile fatiscebat; gravior erat aqua, in ipsam enim injecta fundum partim illico petebat, partim huc et illuc in floccos diffluebat per menstruum natantes. Si hisce omnibus, sunt verba magni Burserii, adduntur aut praegressae, aut praesentis suppurationis phaenomena, atque alia, quae expertum, doctum, oculatumque clinicum neutiquam fugiunt, nil aliud sputorum naturae obstabit. Praeterea Professor clinicus de variis ab expertissimis Viris Berzellii, Gendrin, Andral periculis susceptis ad veram puris indolem confimandam ad lectulum aegroti locutus est, quae libenter brevitatis ergo praetermittam.

Scena morbi aliquantulum mutata, mutanda plus minusve erat therapia. Haud amplius legitimam, sed cum exitu complicatam inflammationem, quaeve quotidie in diffusionem niti minitabatur, medica ope ag-

gredi oportebat. Nil mirandum idcirco, si summus quum adversaretur virium delapsus, a die 15 aprilis ad primum junii, maxima semper impellente necessitate, etsi suspensa manu et cum grano salis, sexies iterum vena secaretur. Ex asse hic rursus quadrant aurea praecepta Burserii: »sanguinem parva manu, inquit ille summus Vir, sed iteratis vicibus, praesertim quando suppurationis timor avertendus est, subinde detrahere, quod non solum phthisi futurae, aut incipienti, verum etiam in confirmatam migrare minanti remedium esse, experientia Clariss. Virorum demonstravit» et alias »in phthisi vero confirmata, quando jam ulcus pulmonum adest, et purulenta labe inficit sanguinem, a venae sectione praestat abstinere, nisi tamen eam dolor pleuriticus, febris vehemens, et difficilior respiratio, novam suppurationem indicans, requirat». Intus primitus antimonialia et potus mucillaginosi-diluentes affatim sumpti, serius antimonialia balsamicis nupta et potus lenientes et blande nutrientes administrabantur. Extrinsecus admovebatur amplum vesicans supra pectus.

Inter varia stibii praeparata kermes praeferebatur magis pulmonibus amicus, utpote ille, qui ad phlogoseos praecavendos, vel jam jam efformatos exitus intra limites coercendos, magnum fert emolumentum. In hujus pharmaci usu, nec non in decoctione nitrata per octo dierum spatium continuatum fuit, quin ulla in sputorum quantitate atque qualitate emendatio, quin

ulla morbi remissio animadverteretur; imo die 23 aprilis tanta erat symptomatum tum localicam tum generalium acerbitas, ut, indicante quoque tubo acustico, sanguis ad uncias VIII subduceretur; kermeti addebatur myrrha sub extracti aquos. forma *aa* gr. sex, et emulsio mucillaginoso-oleosa nitrata decoctui subrogabatur: nec inter tot pharmacorum congeriem efficacia ac in nostro casu aptiora seligi poterant remedia. Aderat puris secrectionem emendandi, cavum ulcus abstergendi, ipsumque perducendi ad perfectam cicatricem necessitas, quibus indicationibus perbene supradicta inservire valebant. Aeger sub hac therapia usque ad 1 maii in continuis versabat remissionibus morbique recrudescentiis sibi invicem succedentibus. Quotidie e pectore ingens sputorum copia indolis purulentae foetidissimae, uti supra dictum est, ejiciebatur.

Die 1 maii propiore periculo conflictabatur aeger. De nocte intensiorem passus erat febris ignem, tussim suffocativam et intolerabilem dyspnoeam, quae prae oculis tempore visitationis adstabant. Tubus Laennechianus in usum tractus in regione toties delineata ronchum muco-cavernosum, et respirationem puerilem roncho subcrepitanti ad intervalla stipata in viciniis manifestabat: eumdem vigere inflammationis processum, eumdem in diffusionem adesse nisum; haec omnia testabantur. Ex una parte urgebat indicatio pro ulteriori phlebotomia, et facta est ad uncias VIII (decima tertia nobis); ex altera vires vitales nimium col-

lapsae blandis nutrientibus erant erigendae; et huic optime praestabant diaeta ex integro vegetabilis, decoctum salep, et pro potu emulsio amygdalina: pilulae pro tempore ob cardialgiam subsecutam suspendebantur; sanguis emissus atre rubebat; aequa erat ejus elementorum proportio, sed alta et durior crusta inhaerebat crassamento.

Haec praestita therapia nihil fert novi bonique. Ad mane 9 maii eminebant tussis importuna, magnae anxietatis atque orthopnoeae suffocativae invasio, et haec non propter vomicam ampliorem factam, sed propter magnum ad pulmones sanguinis affluxum, stethoscopia testante. De die in diem physicae aegrotantis vires delabebantur, ast spiritum numquam opprimebat moestitia. Toto animi ardore instabat, testibus omnibus alumnis, ut novitus vena aperiretur; instabat ad censum revocans bonos ab hoc auxilio abunde habitos effectus, et nos de nostra in cura energica ulterius praestanda nimia formidine criminabatur. Non est attamen credendum, quod ardentes aegri preces nostros flecterent animos; ast patius suffocationis metus, et sanguinis emormesim e pulmonibus amovendi necessitas, inflammationemque periphericam, ut perbene se exprimit junior Hildebrandius, radicitus extirpandi.

Chirurgi ipsi, inquiebat Professor Clinicus, in ulcerum suppurantium medela ad inflammationis diffussionem, immo aliquoties ad gangraenam ipsam praepediendam sanguinis localibus et generalibus utuntur deple-

tionibus pro diversitate casuum repetitis: morbos fugare student illi, qui a centris nobilioribus ut plurimum distant; in nostro vero casu cavum ulcus insidebat in organo eminenter sanguineo, et vix ac ne vix quidem in circulationis centro. Nonnulli defendunt, quod ulcerum extensionem, stadium et naturam chirurgi proximius ac tutius metiuntur: medici quoque ex symptomatibus rationalibus sensibilibus et praecipue coadjuvante stethoscopia viscerum internorun statum rite expendere valent.

In tanto rerum discrimine V. S. ad uncias VIII die 9, altera 13 maii (nobis decima quinta) celebrabatur; amplum vesicans supra pectus erat adplicitum, et intus pilulae ex extracto aconiti et myrrhae compositae, ab initio ad grana VI, subinde ad grana X et XII inter nycthemerum sumendae, una cum emulsione amygdalina pro potu suppeditabantur. Vegetabilis diaeta lactea adjungebatur ab omnibus praticis in hoc morbi genere commendata. Sub istiusmodi medendi methodo sputa ejusdem naturae, sed minori in copia, emittebantur. In viginti quatuor dierum spatio, idest a 14 maii ad 7 junii, ob rationes toties allatas et potissime impellentibus dyspnoea suffacativa et febri vehementi, tres adhuc phlebotomiae, dosi verum moderata (omnium 19, nobis 18 in tribus circiter mensibus), summo cum aegri levamine peragebantur. Tali pacto cura valdopere energica aegroti vita protrahebatur usque ad diem 8 junii, qua inflammationis aculeus non tantum mitigatus,

ast ex integro videbatur extinctus. Tunc temporis reliquam pulmonum secretionem sufflaminare, totiusque organismi vires vehementur fractas instaurare necesse erat. Diaeta vegeto-lactea continuabatur, et decoctum lichenis etiam cum lacte concedebatur aegrotanti. Post unam alteramve hebdomandam hanc ille fastidit medicinam, unde die 22 ad consuetas pilulas confugiebatur, quibus et denique suspensis, cum decocto phellandri aquatici usque ad ultimam commorationis diem (28 julii) impertito coronabatur cura.

Decedente junio, appetitus immodicus imminenti praeibat convalescentiae, et diaeta vegeto-animalis permittebatur. Tussis pedetentim sedata fere ex integro evanescebat: sputorum excreatio quantitate et qualitate peccantium minor facta et melioris notae; respiratio facilis ac liberior, et somnus de nocte magis recreans; febris nulla mane, ad vesperas exigua, dein penitus sublata: appetitu continuante, ad normam reddebantur digestio et nutritio, et cum hisce vultus color et serenitas, textuum restauratio et robur, uno verbo universi corporis pulmonumque vires omnium cum admiratione firmabantur. En quomodo in nostro casu Celsi monitum confirmabatur, quod nempe «ubi major inflammatio, ibi minor exitus».

Ne quis porro morbi inducias nos quidem impetrasse, non autem eum radicitus sanasse objiciat, spondere possumus ab eo inde tempore, quo nobis grato animo valedixit, fortunatum Aloysium nec minimum praebuis-

se indicium laesae valetudinis, qua et in praesentiarum (mirandum!) perfecta fruitur.

Discant hinc Pratici medicinae expectativae nimium fidentes, quousque in hisce morbis sanguinem mittere, non modo liceat, sed urgeat; discant docrinae Laennechianae ignari et invidi osores, quam pretiosum auxilium tubus acusticus ferat, quem istis saltem in casibus, non minoris pro medico esse necessitatis auderem asserere, quam acus magneticus pro nauta.

Verum enim vero ob exitum adeo felicem ne nimium superbiat Curans, nimiumque arti meritum tribuat; magnam enim partem, ne dicam potiorem jure sibi vindicat aegrotantis natura, qui contra tam immanem longaevumque morbum reagere, atque tantam pretiosi laticis jacturam sufferre profecto haud valuisset, si felicem structuram, materiae organicae tenacitatem, viriumque vitalium tantum robur nactus non fuisset, quantum perpaucis solummodo a natura conceditur.

Utinam et mihi et sociis Medicinam facturis daretur in aegros istiusmodi incidere!

THESES DEFENDENDAE

I.

Oculi inspectio quam plurimum confert ad internarum passionum diagnosim illustrandam.

II.

Morbi simulati odium, dissimulati commiserationem promovent.

III.

Hic sonus tubarius (respiratio bronchialis), hic non semper pulmonum hepatisatio.

IV.

Arthritis rheumatica acutissima vix non semper a cardio–arteritide alitur.

V.

Peritonitis ascitis causa, peritonitis ascitis sanitas.

LIPPICH.

VI.

Limatura ferri in cibaria chloroticarum officina in lactatem ferri nonnunquam commutatur.

CORNELIANI.

VII.

Ubi major inflammatio, ibi minor exitus.

CELSUS.

VIII.

. . . . Si te proverbia tangunt,
Mense malum majo nubere, vulgus ait.

OVIDIUS.

